



~~17~~
EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

V-1

SIGNAT. MDCCCXXIII.

[Faint, illegible text from the reverse side of the page, appearing as bleed-through.]

**PRORECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
GOTTLIEB
VVERNSDORFIUS**

**S THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL
ALVMNORVM SAXON. EPHORVS**

**CIVIBVS ACADEMICIS
S P D**

[Faint, illegible text from the reverse side of the page, appearing as bleed-through.]



IN uitio, et abiecti est animi consilium latitandi, quod languore
sordidaeque alitur et sustentatur: illius autem ne sapientes quidem aut
suppuduit unquam, aut suppudere potest, quod moderatione animi,
et ambitionis reprimendae studio, continetur. Vetus est uerbum,
idemque Sapientum usu, in pluribus plurium familiarum scholis, percele-
bratum, Graecis tamen forte melius, quam Latinis, enunciandum: **late**
uiuendo, uel, ut expresserit fere os Venusinum, **falle uiuus**. Quae
quidem uox a quo tandem primo missa sit, et profecta ad alios, non con-
stat satis: uix tamen alibi, quam in Pythagorae penetralibus, et mysteriis,
uel prius, uel crebrius, iactatam commendatamque fuisse illam, quoad
nos existimare possimus, sane comperimus. Philosopho, et Seni, Samio,
qui, pro captu religionis suae, ad imitationem diuinae similitudinis exci-
tare stauerat homines, primus ad altiorem hanc Philosophiam aditus e-
rat, se ipsum nosse: alter, purgare se, ac liberare, a **fordi-**
bis corporis: tertius, **animum sui narum, atque, ex emta**
corporis fece ac labe, repurgatum, sic in se uerti, ut re-
rum, quae extra sint positae, uelut alienarum, oblitus, sese remoueat ab
aliis, et immersus delitescat in semetipso, consultoque ab aliis ignoretur,
quo adeo illo, qui magnifice ostentabatur, **ascensu emicare**, siue,
ut alii loquuntur, eo, **unde descenderat, reportari** possit. Py-
thagorae instituto, ut permuldis aliis, usi sunt Platonici, in quibus Proclus,
in se reuolutus et abditus, tantum latuisse fertur, quantum ne Pythagorei
quidem, qui alioquin hanc magistri sui legem magna religione animi ser-
uabant. Apollonius quoque Tyaneus, qui Pythagoram aemulabatur,
crebro dicere solitus memoratur: **late, cum uiuis, sin minus id**
potes, late, cum sis e uita discessurus. Nec uero doctri-
nam hanc spreuit Epicurus, cum sibi uiuere institueret, nec Zeno, qui mul-
ta est a Pythagora mutuatus, neque omnis Porticus, cum in semet ipsos
secedere et descendere, in otioque abscondi, uellent. At enim Plutarchus,
ubi ex instituto huius dicti uim rationemque explorat, multa pro inge-
nii ubertate, lectionisque copia, in contrariam partem disserit, et liberius
pronunciat, hanc esse uocem cum auctore suo, quicumque tandem fuerit,
explodendam. Hic uitus est nonnullis cum alios, tum aequalem maxime
suum, Apollonium insectari, nec probauit sententiam rationesque suas Pe-
tro Alcyonio, qui altero, et eleganti, libro de Exilio, Sapientis huius, ma-
gnis a Traiano honoribus ornat, ambitionem notat, et pluribus argumentis
contendit, illius inuentorem sciti, quisquis fuerit, non uitam otio diffu-
entem et languentem, sed ab honorum contentione alienam, commen-
dasse. Ne multi simus in re, ab Alcyonio multo labore apparatusque in-
uestigata, plenius, eoque apertius et exploratius, loquuntur, qui aliquam
bene uiuendi rationem constituunt, non in qualibet, sed in **bene la-**
tendi ratione. Quam enim humanitatis sensum amisisse uideatur, qui sic
abstrudi uelit, ut, contempta omni societate hominum, nolit meminisse, non
uni sibi, sed aliis etiam, quos excitare et iuuare debeat, se natum esse: **non**
etiam

etiam hoc tale in tenebris facendi consilium repugnauerit auctoritati diuinae, qua lumen agendi non occultare et extinguere, sed expromere et praeferre, iubemur: tam modestia et animi continentia, ad quam nos genuit natura, dignum uidetur, ut honores, quibus eminere queamus, non tam rapiamus, quam expectemus, et delatis fungi studeamus illis quidem, sed negatis facile careamus, contenti uoluntate bene merendi, et forte non frustra, et animi tranquillitate, quam cupiditas amplioris loci conturbare non possit. Hac aequitate animi fuit GODOFREDVS NICOLAI, qui nunquam ita latuit quidem, ut eius in foro desideraretur opera: in appetenda tamen dignitate maiori eundem uisus est habere modum, quem prudens ille Socrates auditor. Antisthenes enim rogatus, quo pacto sit ad rempublicam accedendum? quemadmodum, inquit, ad ignem: neque ualde prope, ne urare: neque procul, ne algeas. Equidem mirari soleo humani leuitatem ingenii, cui saepius, in aestimandis honoribus, secum ipsi non conueniat, cum ante oculos mihi pono Demosthenem, qui, omnium Graecorum ambitiosissimus, faciebat aliter, ac sentiebat, et solebat dicere: cum duae apertae sint uiae, una ad inferos, altera ad iugestum et tribunal, homini sanae mentis eligendam esse, quae ad inferos duceret, si optio daretur. Neutro abiit Godofredus, sed tutius in medio constitit, et dignitati famaue sic seruiit, ut impotentis animi libidinem refrenaret, et mediocritatem, optimam agendi ducem sequeretur, paratus alioquin ad nauandam reipublicae operam, et comparatis huc praesidiis instructus. Prognatum enim Vitemburgae A. R. G. ∞, 136, 1371 Pater, GODOFREDVS NICOLAI, Praetor huius oppidi quondam grauissimus, et Mater, MARIA ELISABETHA, ortu SCHOERCKELIA, matrona, quoad uixit, integerrimae uirtutis, cum omni caritate complexi sunt, tum bonis moribus literisque instituendum tradiderunt uiris spectati in hoc genere exempli, Peiskeris, Vinteris, et aliis, a quibus cultum non exiguum cepit alumnus. A. praecedentis Seculi LXXXVII Halas Saxonum, ubi necessitudines habebat clarissimas, missus, Praetorios, Rothiosque adiit, et tam faciles atque ingenuos adiutores industriae nactus est, ut, auctis iam doctrinae incrementis, ad maiores conatus aspiraret. In urbem natalem ut reuertit, contulit se ad iuris prudentiam, non praecipiti, ut uulgi mos est, gradu, sed literis iam non leuiter tinctus, et praeceptis disciplinae ciuilibus praeparatus, eaque in re Gleichiana, et Vinckelmanniana, institutione feliciter usus. Hic uero cum ea res gerenda foret, ad quam dux et auctor, opus esset, primum, cui morem gereret, sibi delegit D. Io. Casparem Brendelium, priuatum iuris interpretem felicitis auditorum profectu industriae, et huius, disputatoris id temporis solertissimi, praesidio selecta iuris argumenta, pro concione eruditorum, semel atque iterum non sine publicae laudis praemio defendit. Vt tamen in omni diuini humanique iuris scientia, quantum posset, elaboraret, singulari obseruantia coluit Doctores Publicos, et legum Antecessores, summis meritorum ornamentis cumularissimos, Stryckios, Straußios, Heberos, Bergeros, Hornios, Suetuos, quorum commentationibus interfuit, quos reuereri non desistit, et a quorum ore nunquam, nisi instructor, recessit. Cum pugnam, qua committun-

mittuntur ingenia, non subrepererent, et saepe multumque rationibus ob-
fectis aliorum sententias oppugnaret: tum, facta denuo sui copia, de pal-
ma decertavit, et, praeter ceteros, iuris consultiſſimos Viros, et in summo
Proocationum Senatu Consiliarios, Strauffium Horniumque, separatis qui-
dem temporibus, habuit et exercitationis arbitros, et peritos, sincerosque
laudis existimatores. Datis tot, quae adhuc extant, legitimae peritiae do-
cumentis, Patrum, in primisque Iuridici Ordinis, benevolentiam usque
eo sibi conciliauerat, ut non difficulter laurae, quae praemium est iuris
intelligentiae, fructum caperet, praesertim cum ea dignum se praestaret.
In solemnibus eruditionis certamine, quod, duce et disceptatore Amplissi-
mo D. Sueuo, iniiit, et ex quo victor excessit. Auctus dignitate nomi-
nis, honores, uirtute partos, uirtute ueri parauit, forumque ingressus, cau-
sas suscepit, et magna fide curauegit, promptam facilitatem in explicandis
causis momenti aperuit, non rixas, quae facultates exhauriunt, sed pacis et
concordiae suauis studium, et contentionum, quae, praeter inopiam et dolorem
sero sapiendi, parum relinquunt, infelices exitus praesentibus exemplis demon-
strauit. Erat enim, quod integritatis testimonium dant clientes, ea sanctitate ani-
mi, ut republicam non quaesui haberet, sed, quoad posset, in commune consu-
leret, neque opulentis se uendicaret, sed inopes subleuaret, et caueret magnopere,
ne iuris magis, quam iustitiae, consultus uideretur. Ita uero multis, quibus nec con-
silio, neque opera defuerat unquam, carus, neque obscuri in re forensi nominis
erat, et habebat, quae paterent alibi, condiciones augendae fortunae, nisi pa-
triae, cui sese deuouerat, operam suam profiteri, et honores non praesumere, sed ani-
mo bene composito, et more maiorum, expectare maluisset. Nec uero spem felici-
lisset euentus, nisi DEO, qui honores constituit et distribuit, uisum esset illi meliores,
maiores, et stabiliore, in illustriori sede et gradu uerissimae dignitatis, decernere,
et, qua est gratia, elargiri. Laboranti aqua intercute omni quidem uel consilio, uel
auxilio affuerunt, primum D. Brendelius, huius quoque Artis facultate, et usu, Ex-
ercitissimus, tum, qui uocatus est in partem subditi, D. Bergerus, Archiater
Regius: sed medicinae uim infringebat uis mali, multo prius, quam ab eo sibi
metuere coepert aegrotus, corroborati, et reliquum erat, ut morbus tam grauis
ipsa morte finiretur. Decessit X. KL. Maias, hora matutina IX, natus annos sex
et triginta, menses aliquot, sed ita decessit, ut ante, quam foret e uita demigrandum,
ad magnum illud, in quo reditus non patet, iter omni cogitatione se compararet,
et coelestis Viatico, quod ab Sacerdote, muneris sui obseruantissimo, L. Io.
Hieronymo de Vedig magna ueneratione acceperat, instructus, et incommoda
morbi eadem, qua uixerat, animi moderatione sustineret, et mortem, qua aeterna
auspicamur fata, non tam secure contemneret, quam non uereretur. Nos dole-
mus uicem moerentis Familiae, et optamus, ut aliis fortunae auctibus reficiatur
clammum, quod luctuosi paucorum casus annorum, et Matris, Patris, Filii demum,
mortes acerbissimae attulerunt. Vos, CIVES, recordatione sermonis nostri,
et tristis, quod spectatis, exemplo commoniti, Artem bene latitandi discite, et
quantum uos a turbis cupiditatum terrestrium noxiarumque remouetis, tantum
in Dei Seruatorisque Vestri ueneratione et uoluntate delitescite, memores illius,
quod praeclare est praecceptum, DOMINO ESSE ET VIVENDVM, ET MORI-
ENDVM. Funus efferretur hodie, a meridie, Hora I. ex aedibus Nicolaianis in Tem-
plum Marianum, ut ibi flata, et frugi, Concione Funebri a Venerabili Patre ac Do-
ctore, CASPARE LOESCHERO, tum alio sermone, ultimi honoris causa institu-
endo, cohonestetur. Perficite nobiscum iusta frequentes, quod officium communis
lex humanitatis exposcit, et mereret honor amplissimarum Necestitudinum,
quibus Nicolaiana Familia in muneribus reipublicae uariis, atque in ipsis Prin-
cipum Aulis, uel in uicinia, et alibi, uel in ipsa Saxonia, ornatur

P-P IV KL. Maias, cix, 10c, cix

Ung.

VI 1

= [Occasionalia Vol. 2.
= Fumeralia K.-R.]

X.285598A


W 17
W 18



PRORECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
GOTTLIEB
VVERNSDORFIVS

S THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL
ALVMNORVM SAXON. EPHORVS

CIVIBVS ACADEMICIS
S P D



Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

